



13. Ad eam restitutionem Episcopi laicos movebant & urgebant.
14. Plures laici hisce exhortationibus ad restitutionem movebantur.
15. Seculo 9. passim Monasteriis & Canonicorum Collegiis laici decimas dabant.
16. Idipsum rursus contigit saeculo 11. & 12.
17. Plures rationes quibus alliciebantur laici ad dandas decimas monasteriis.
18. Hac restitutio non omnibus probabatur; quia non fiebat iis quibus decimae iure debebantur.
19. Saeculo 11. ordinatum fuit, ne Monachi aut Canonici sine consensu Episcopi decimas à laicis acciperent.
20. Idipsum in Concilio Lateranensi renovatum.
21. His Decretis volebant Episcopi reducere decimas ad Ecclesias Parochiales.
22. Decretum haec optatum non habuere effectum.
23. Sub pretextu redemptionis Ecclesiarum Episcopi licrum ex consensu captabant; & ideo facilius consentiebant.
24. Hanc redemptionem Urbanus II. Simoniacam definivit.
25. Quomodo huic definitioni fraus fieret.
26. Si Episcopi non consentirent, dabatur licentia recurrendi ad R. Pontificem ad supplendum consensum.
27. Hinc multa à Pontificibus obtenta privilegia de accipiendis decimis.
28. Haec decimarum impetrationes & receptiones non omnibus Monachis placebant; & quare?
29. Querela S. Bernardi de Monachis decimas sibi contra Clericos vindicantibus.
30. Ordo Cisterciensis in suis exordiis decimas abiecit.
31. Nonnulli volebant suam monasteria propter decimarum possessionem deserere; quos reprehendit Ivo Carnotensis.
32. Monachis decimas ut pauperibus posse communicari asserit Ivo.
33. Idipsum probavit S. Bernardus.
34. Quid in decimarum receptione per Abbates observari voluit Ivo.
35. Monasteria decimas possidentia tenentur Ecclesiis Parochialibus providere.
36. Tenentur decimas ut elemosinas considerare.
37. Pauperibus ex iis subvenire.
38. Praecipue in illis Parochiis è quibus decimas accipiunt.



Pud Gratianum *Caus. 16. q. 1. Can. 68.* sub nomine S. Hieronymi ad Damasum Papam legitur: "Maximè curandum est illis, ut de decimis & oblationibus, cœnobiiis, & xenodochiis, qualem voluerint & poterint sustentationem impendant. Liberum est enim Monachis, & spiritualibus viris Deum timentibus & contentibus, decimas & oblationes, cunctaque remedia concedere, & de iure suo in dominium illorum, & usum transferre, nec tam in pauperibus paupertatem, quam religionem attendere. Quod autem beatitudo tua quaesivit, utrum usus decimarum, & oblationum secularibus provenire possit, novit vestra sanctitas omnino non licere, protestantibus hoc divinis auctoritatibus paternorum Canonum. Quamobrem, si aliquando fuerint ab his male detenta, quae divini iuris esse noscuntur, & in usum transferuntur, & servorum Dei, Episcopo tamen loci illius praesente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate, & stabilitate subnixia.

Si sincera esset haec Hieronymi ad Damasum Epistola, dubitari vix posset, saeculo IV. id est tempore S. Hieronymi, Monachis decimas competuisse; atque liberum fuisse laicis de consensu Episcopi in Monachos decimas transferre.

II. Verùm eum tempore S. Hieronymi decimae nondum

fuerint stabilitae, ut supra *cap. 1.* notavimus; neque sciat, eo tempore laicos decimas praetendisse, multò minus occupasse, nullatenus, quae hic dicuntur, cum disciplina & moribus aetatis S. Hieronymi convenire plures Eruditi advertunt; ideoque hanc tamquam supposititiam rejiciunt; ipseque Christianus Lupus *tomo 5. Schol. in Canones pag. 188.* de hac Epistola ait: "Pessimè à Gratiano adscribitur S. Hieronymo. Omnino enim scripta est longe posterior in gratiam Monachorum.

III. Admodum verisimile est, circa saeculum 11. aut 12. confictam fuisse; quando decimas à laicis de consensu Episcopi in Monasteria transferri passim invaluit; ut infra patebit.

IV. Eam sub nomine S. Hieronymi citant coram Innocentio III. quidam Monachi; ejusque auctoritate se adversus quosdam Canonicos in possessione decimarum, quas à laicis de consensu Episcopi acceperant, muniebant; uti refert ipse Innocentius in litteris ad Archiepiscopum & Scholasticum Bituricensem; & refertur in *Cap. 7. De his quae sunt à Pralato &c.* ubi & non obscure auctoritas istius Epistolae admittitur, ut dubium non sit, quin haec Epistola à Gratiano sub nomine S. Hieronymi relata Monasteria in alferendis & retinendis decimis multum stabilierit.

V. Porro decimis ubique per Galliam aliasque partes stabilitis, Monasteriis & Capitulis circa saecula 9. & sequentia communicatas fuisse; imò magna ex parte sensim transiisse scitur: idque variis titulis.

VI. Decimas per se non esse spirituales ideoque & laicis & Monachis curam animarum non habentibus communicari posse docet S. Thomas *2. 2. q. 87. art. 3.* unde in responso ad 3. concludit, quod sicut alias res temporales ad Ecclesiam spectantes potest Ecclesia in laicos transferre; ita & decimas concedere queat; "sive pro necessitate Ecclesiae (ait) sicut quibusdam militibus decimae debentur in feudum per Ecclesiam concessae, sive etiam ad subventionem pauperum: sicut quibusdam Religiosis laicis vel non habentibus curam animarum aliqua decimae sunt concessae, per modum elemosynae, quibusdam tamen Religiosis compeit accipere decimas ex eo quod habent curam animarum.

VII. Per Episcopos nonnunquam decimas Monasteriis & Capitulis concessas fuisse dubitari nequit; ipsaque foundationum & dotationum diplomata passim fidem faciunt; pluraque refertur in Bibliotheca Cluniacensi *pag. 1285. & 1387.* ac sequentibus.

VIII. Similiter auctoritate Romanorum Pontificum plurimarum Ecclesiarum decimas, quin & Ecclesias ipsas Monasteriis & Capitulis incorporatas esse, praesertim saeculo 12. & sequentibus, notius est quam ut probari debeat.

IX. Nihilominus illud constat, decimas pro maiore parte ad Monasteria & Capitula per laicos devolutas esse; idque saeculo 9. 10. & 11.

X. Constat enim circa saeculum octavum & sequentia decimas variis praetextibus, vel titulis, necessitate subinde id pro tempore exigente, vel à laicis fuisse occupatas, vel concessas.

Et quidem cum tempore Caroli Martelli, Gallia undique potentissimis hostibus & exercitibus, praecipue Paganorum & infidelium impugnaretur; ad quos repellendos, cum Nobiles & Principes suas opes exhaustissent, solatii & mercedis colore eis data fuisse Ecclesiarum etiam Parochialium redditus & bona, uti ex Synodis & historiis illorum temporum constat.

Et quidem de Carolo Martello vetus Fragmentum de majoribus Domus Regiae à Petro Pithæo editum, hoc prodit: "Carolus Major Domus & Austrorum Princeps, res Ecclesiarum, propter affiduitatem bellorum laicis tradit.

Ex quodam veteri Chronico idem de Carolo Martello refert Vir eruditus Joannes Filescus in suo de sacrilegio Lai-

Laico commentario; sive veteris Ecclesiae Gallicanae querela: "Carolus, ait Chronicon, propter affiduitatem bellorum, Decimas & quaedam alias res Ecclesiasticas Laicis concessit.

XI. Morbus hic nec mortuo Carolo Martello cessavit, sed sub pluribus Regibus perduravit; uti doctè ostendit Joannes Filescus in dicto tractatu; notatque sub Carolo Laicos virtute quidem militari & bellica fortitudine illustres, ob fidelem Regi in bello navatam operam, beneficii loco, praedia & villas Ecclesiae, dono accepisse. Et haec Regiae Munificentiae symbola, ait Filescus, beneficia nominantur apud Scriptores nostros. Et de his beneficiis intelligi oportet quod legitur *lib. 1. Capitular. cap. 157.* "Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex iis Ecclesiae, cujus res sunt, donec, & qui tale beneficium habent, quod ad medietatem laborent, & de earum portione proprio Presbytero, id est Parocho, decimas donent.

XII. Ex dictis quoque capite praecedenti, & relatis ibidem Canonibus facile est intelligere, saeculis 10. & 11. Decimas Ecclesiarum Parochialium à laicis passim vel occupatas, vel iure quodam infeudationis acceptas.

XIII. Cum verò decimae principaliter ac primario Sacerdotibus spiritualia ministrantibus ex intentione Fidei eas offerrentur, & Ecclesiae eas exigentis sint ordinatae; atque ipsis quodammodo violentè ablatae censerentur, Episcopi tum adhortationibus, tum editis Decretis Laicos ad earum restitutionem ac dimissionem urgere haud destiterunt.

XIV. His exhortationibus & Decretis, quae nonnumquam & censuras minabantur in refractarios, plures Principes laici commoti ab iis se liberare, & locis aut operibus piis impendere voluerunt.

XV. Et quidem de restitutione decimarum quae facta fuit à successoribus Caroli Martelli id est, Ludovico Pio & filiis ejus, loquens Christianus Lupus *tomo 5. Schol. in Canones pag. 186.* ait: "Et Monachorum & Regularium in Cathedrali aut Collegiati Claustro Clericorum disciplina tunc florentissime vigeat. Hinc plures Laici, dum saeculares seu singulares Clericos averfantur, detentas Altitarium Decimas illis donarunt, ex ipsis fundarunt nova Monasteria ac Regularia Collegia, atque ita utramque istam professionem opulentissime ditarunt.

XVI. Post extinctam Caroli Magni sobolem (pergit Lupus) & patrata in Formosum Pontificem scandala, malum adeò resurrexit, ut Laici in ipsis etiam Romanis Basilicis devotas adventantium fidelium oblationes invaderent, & ipsos adventantes in via praedarentur. Medietatem enim adhibere iterum cepit Gregorius sextus, Victor secundus, ac praesertim sanctus Leo nonus, laudatus ab Hermanno contracto. Et tunc iterum varia, in quibus vigeat Regularis Ordo, Monasteria non parum profecerunt. Plurima tunc fuisse de novo fundata scribit Glaber Rudolphus.

XVII. Accedebat summa tum temporis in laicis fundandi ac dotandi Monasteria & Canonicorum Collegia aviditas; ut vel sic eorum nomen & posteritas Fundatorum aut Benefactorum Catalogo inserta, quodammodo post vitam superessent, & nomen aeternum haereditarent.

Accedebant Monachorum frequentes, instantes & importunae preces & sollicitationes: qui & hoc foundationis dotationisque opus in caelum usque attollere, atque ad demerendum Deum, peccatorumque remissionem impetrandam plurimum valere, persuadere omni modo studebant.

Quin & suffragia suarum congregationum, Fundatorum atque Benefactorum animabus è penis purgatorii liberandis, mirum in modum efficacia esse astruebant & persuadebant.

Haec omnia, mirum quantum stimularint pios laicos, ut Decimas aliisque bona in monasteriorum foundationes & dotationes, praecipue per testamenta, cum iis amplius ipsi

uti non possent, conferrent; adeò ut vix ullum reperias Monasterium quod non aliqua, ut minus, ex parte per huiusmodi Laicorum largitionem fundatum atque dotatum sit.

XVIII. Verùm licet hac ratione decimae è manibus laicorum extrahi viderentur, tamen non iis, quibus iure debitaerant, scilicet Ecclesiis Parochialibus, & Sacerdotibus spiritualia ministrantibus restituebantur: unde nec huiusmodi decimarum translationes Episcopi probabant.

Hinc ad Urbanum II. scribit S. Ivo Carnotensis *Epist. 12.* "Multa inordinata fieri video in domo Dei, quae me torquent, maximè quod apud nos qui Altari non servant, de Altari vivunt.

XIX. Ut hanc devolutionem Episcopi impedirent, easque ad naturales earum possessores, id est, Parochos & Sacerdotes spiritualia populo seminantes reducerent, pluribus in Synodis decreverunt, Monasteria sine consensu Episcopi decimas accipere non posse.

"Ut nullus Abbas, nullus Ecclesiarum Praepositus, quae juris sunt Ecclesiastici accipere sine Episcopi concessione praesumat: ait Synodus Melitana an. 1078. *Can. 2.*

Et in Concilio Romano sub idem tempus eundem in finem Decretum fuit: "ut nullus Abbas Decimas & primitias, & reliqua quae secundum statuta Canonum ad Episcopos pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi in cuius Diocesi habitat, detineat, auctoritate Apostolica sancimus.

Et Joannes Cardinalis de Crema, Honorii II. in Anglia Legatus in sua Londinensi Synodo an. 1125. "Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omnino Monachus vel Clericus Ecclesiam sive decimam, seu quolibet beneficia Ecclesiarum, sive de dono Laici sine proprio Episcopi auctoritate & assensu suscipiat: quod si praesumptum fuerit, irrita erit donatio huiusmodi; & ipse Canonice ultioni subiacebit.

XX. Et rursus in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. conquesti Episcopi de Templariorum, aliorumque Religiosorum excessu in recipiendis Decimis è manibus Laicorum, eorum querelam probans Synodus, ait: "Ecclesias & Decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos (Templarios) quam alios Religiosos recipere prohibemus, dimissis quascumque contra tenorem istum aliquo tempore receperunt. *Cap. 3. De Priv.*

Hoc Decretum anno 1200. rursus iisdem verbis renovavit Synodus Londinensis; & anno 1215. magnum illud Concilium Lateran. sub Innocentio III. *Can. 16.*

XXI. Has omnes Conciliorum ordinationes in id collimare, ut decimae ad Ecclesias Parochiales, quibus de iure debentur, rediscantur sat manifestum est.

Hinc ad litteras Innocentii III. quibus Capitulo Suesionensi impertit licentiam decimas à laicis redimendi, sub ea expressa conditione, si ad Ecclesias Parochiales reduci non possent (verba capite praecedenti relata sunt) reflectens Christianus Lupus *tomo 5. Schol. in Canones pag. 199.* ait: "Ita possessiones suas, decimas praesertim ac primitias, de laicorum manibus esse stucare variis modis conata semper fuit Ecclesia, ea tamen lege, ut ad propriae Parochiae redirent opus. Quod ubi non potuit, permittit sunt transire ad aliquod Monasterium seu Capitulum.

His consonat illud Innocentii III. *Cap. 7. De his quae sunt à Pralatis sine consensu Capituli.* "Laicus qui decimam detinet, monendus est, ut eam restituat Ecclesiae, quam spectat, qui si forte induci nequiverit, & eam cum Diocesani consensu alteri Ecclesiae assignaverit, praesertim Religioso Conventui, constabit ipsa donatio, perpetua firmitate subnixia.

XXII. Verùm licet Conciliorum mens fuerit per sua Decreta devolutionem decimarum ad Monasteria & Collegia Canonicorum aliquosque restringere, exiguum tamen effectum habuere.

XXIII. Imprimis enim Episcopi se haud difficiles in